



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

XXIV. Formulæ veteres absolutionis pœnitentium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**

circiter sex mensuras terræ continet, coluerint vel nutrierint, decimas solvere non tenebuntur. Actum anno Domini M C C. secundo.

---

 X X I I I.

Manumissio Nicolai de Marifiaco.

*Ex archivo regio Parisiensi.*

**P**HILIPPUS Dei gratia Francorum Rex. Notum facimus universis præsentibus & futuris quòd nos dilectum nostrum Nicolaum filium Johannis de Marifiaco & Mariæ de Faverolis ipsius uxoris, exhibitorem præsentium, hominem nostrum de corpore existentem, ut tonsuram clericalem obtinere valeat, tenore præsentium manumittimus intuitu pietatis. In cujus rei testimonium præsentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum apud Valles Comitissæ anno Domini millesimo trecentesimo duodecimo, mense Junij.

---

 X X I V.

Formulæ veteres absolutionis pœnitentium.

*Ex veteri codice MS. bibliotheca regia.*

Absolutio à pœna & à culpa tempore Domini Gregorij undecimi.

**D**OMINUS noster Jesus Christus per suam misericordiam te absolvat. Et ego te absolvo à vinculis excommunicationis, à participatione excommunicatorum, & ab omnibus sententiis generalibus à jure vel ab homine seu etiam à canone latis, & ab

omnibus transgressionibus, & ab omnibus peccatis tuis de quibus es verè contritus & confessus, vel quæ tibi in memoriam non occurrunt. Dispensò etiam tecum super irregularitate, si quam incurristi immiscendo te divinis qualicunque sententia ligatus, auctoritate Apostolorum Petri & Pauli & Domini nostri Papæ Bo. & sanctæ matris Ecclesiæ. Et do tibi plenam indulgentiam omnium peccatorum tuorum, quantum Dominus vult & claves sanctæ matris Ecclesiæ se extendunt, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Amen.

Item alia forma absolutionis.

Præmissò *Confiteor & Misereatur*, dicat absolvens:

Et ego auctoritate omnipotentis Dei & Domini nostri Jesu Christi & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus ac Domini nostri Papæ & c. tibi præsentis in sinceritate fidei catholicæ corde contrito & ore plenè confesso omnium excommunicationum, suspensionum, & interdictorum, ac irregularitatum inde contractarum, & omnium peccatorum tuorum plenam indulgentiam, quantum claves sanctæ matris Ecclesiæ Romanæ se extendunt, & etiam auctoritate mihi commissa, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti Amen.

Item alia forma.

Auctoritate omnipotentis Dei & Domini nostri Jesu Christi & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus & Domini nostri Papæ Bo. & etiam auctoritate qua ego fungor, ego absolvo te à vinculo excommunicationis, si quam incurristi per participationem, vel per levem manuum injectionem, & ab omnibus generalibus sententiis, non tamen per dictum Dominum nostrum Papam Bo. specialiter reservatis, sed generaliter promulgatis sive ab homine sive à jure, & à sententia suspensionis & interdicti. Et dispensò tecum in irregularitate, si quam inde contraxisti, celebrando

656 APR. ACTORUM VETERUM.  
divina, vel immiscendo te divinis. Et restituo te sa-  
cramentis Ecclesiae & communioni fidelium cum divi-  
nis orationibus. Et eadem auctoritate ego absolvo te  
ab istis peccatis mihi confessis & ab omnibus aliis de  
quibus non recolis, de quibus, dum recolis, confite-  
ri proponis, & negligentis tuis, in nomine Patris &  
Filij & Spiritus sancti. Amen.



ADDENDA